



Cont. tit. 1. 1. 1.

MANSVETI
TERRAE HAEREDES

MATTH. V. 5.

DISSERTATIO THEOLOGICA
CVIVS

SECTIONEM POSTERIOREM DOGMATICAM
ADIVVANTE DEO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

FRIDERICO

MARGGRAVIO BRANDENBURGI, BORVSSIAE
SILESIAE MAGDEBURGI CLIVIAE DVCE,
BYRGRAVIO NORIMBERGAE, CAETERA CAETERA
DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO
PRAESIDE

PRORECTORE MAGNIFICO

CASPARO IACOBO HVTHIO

SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESS. PVBL. ORDIN.
PAROCHIAE PALAEOPOLITANAE ANTISTITE
GYMNASIORVM ILLVSTRIVM BARVTHINI
ET ERLANGENSIS SCHOLARCHA

IN
ALMA FRIDERICIANA ERLANGENSI
DIE III. NOVEMBRIS MDCCL.

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVIVITIONI
SVBMITTIT
IOANNES MICHAEL WIGANDVS
SVINOFVRTENSIS.

ERLANGAE,
METALLO IO. DITER. MICH. CAMERARII, ACAD. TYPOGR.

24

MANSVETI
TERRAE HARREDES

MATTHEI V. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

DISSECTATIO THEOLOGICA

SECTIONEM POSTERIOREM DOGMATICAM

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO

SEKRETISSIMO PRINCIPIS AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

MARGGRAVI BRANDENBURGORVSSIAE

SILLESIAE MAGDEBURGI CLIVIAE DUCIS

EVANGELIO NORMITAE CAETERA ASTRICAE

DOMINO HOSTIO TINGE ELEMENISSIMO

PROFESSORE MAGNIFICO

CASPARO IACOBO HVTHIO

SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESS. PUBL. ORDIN.

GYMNASIORVM ILVETIVM HARTVNI

ALMA FRIDERICIANA ERLANGENSIS

PUBLICAE ERVDITORVM PROPOSITIONI

IOANNES MICHAEL WIGANDVS

ERLANGENSIS

METALLO ID. DITR. MICH. CAMTZERII, ACAD. TYPOG.



SECTIO POSTERIOR
 DOGMATICA
 DOCTRINAS E DICTO SERVATORIS
 ERVENS ET VINDICANS.

§. I.



Ethicam mansuetudinis notionem, quae *Chri-*
stianam efficit, non reiicit gratia; sed decla-
 rat, emendat, perficit. Finitur Peripateti-
 cis, quorum hic iustior causa est, quod sit
virtus irae moderatrix, nec inconcinne: in eo enim
 tota versatur, ut iracundas animi commotiones ad ra-
 tionis distamen componat et temperet. Dum erga
 pares se exerit, *lenitas*; si superioris est aduersus inferio-
 res, *clementia* audit: quo nomine recte distinxit SE-
 NECA, hanc dicens *temperantiam animi in potestate ulciscen-*
di, siue *animi ad lenitatem in exigenda poena inclinationem*. *
 Decantata est ARISTOTELIS definitio, cui man-
 suetudo est *μεσοτης νεστι οργης*, *mediocritas circa iras*. ** Dis-
 plicuit ista mediocritas HVGONI GROTIO: *** nec
 repugno, si genericum, quod Aristoteles voluit, virtutis
 cuiuscunque conceptum hac voce male circumscribi con-
 tendit. Distinguere debuisset Philosophus inter virtutes
absolutas et relativas: sed et ita distinguere debuisset ipse
 Grotius. * Dantur omnino virtutes absolutae, quibus

A 2 ad

* de Clementia L. II. c. III. p. 303.
 ed. nou. Lipsiensis.

** Ethic. ad Nicomachum L. IV.
 c. V.

* de Iure Belli et Pacto, in Praef.
 §. XLIII.

* Nec satis adtendit b. BYDDEVS,
 qui Grotium sequitur, in Theol. Mor.

ad summa incitatur, nec in excessu peccatur, nec in defectu: hic frustra mediocritatem quaesiveris. Errat vero vir magnus, dum et earum in numerum deducit mansuetudinem: manifesta enim sunt ex utroque latere eius extrema, alterum *αργηρία*, quod *lentitudinem* appellat CICERO; * alterum *αργηρία* seu *iracundia*. Nec de nihilo sunt, quae ad servandam hanc mediocritatem praecipit Stagyrta, ut exacto rationis iudicio sollicite definiatur, et qui, et quas ob res, quibusque hominibus, quo tempore, et quamdiu irasci debeat. Certe iisdem religio insistere tenetur vestigiis, si utrumque evitare scopulum, amplissimumque doctrinae valde intricatae campum, feliciter emetiri velit.

§. II.

Mansuetudinis Christianae notionem non ante colligere licet, ac de obiecto eius externa constet. De interno nulla lis est: iram enim eiusque moderamen constituunt omnes. Quin et in generali hac definitione haud pauci acquiescent. Ita IO. CONR. DVRRIVS ** et CHRISTIANVS KORTHOLDVS, *** quibus sufficit *virtutem dixisse, quae in ira moderanda versetur.*

Obiectum

c. 1. S. IV. §. CXXVI. Concitatus, ac par erat in Aristotelicam hanc notionem invehitur b. RAMBACH in *der Moraltheologie* c. IV. §. 29. p. 820. ed. Francof. Pelagianismi labem ei adspersens; a qua certe Theologi ex veteribus, qui adoptarunt, praestantissimi, longe alieni fuerunt. * in *epist. l. ad Quintum Fratrem*, ipsam huius extremi denominationem

primus adornavit Aristoteles, acute obseruans, consuevisse homines, ut mansuetudinis perinde nomine defectum insignirent, in vitio ponendum; cum eas ob causas non succenset quispiam, ob quas debebat.

** in *Comp. Theol. Mor. c. IX. §. III. p. 182.*

*** in *Theol. Mor. synoptice tractata. Loco XI. §. 3.*

Obiectum vero mansuetudinis *externum*, vbi determinandum est, arctioribus ac par est virtutem includunt cancellis morum doctores. Tertiae communiter officiorum classis, quae virtutes iustitiae proximo demonstrandas complectitur, subordinant. Verum hoc modo quae erga Deum se exerit, quin et quam nobis ipsis debemus, mansuetudinis virtus exulat. Officiis inimico praestandis adfociauit S. R. WALCHIVS: * verum et amicis debetur errantibus, docente Apostolo GAL. VI. 1. *infructate huiusmodi spiritu mansuetudinis*. Cogitasse haec videtur S. V. A. MOSHEIM, cui ea de causa finitur, quod sit *firmum voluntatis sanctificatae propositum, inscios et errantes placide instruendi, et non proaereticos officiorum transgressores sine acerbitate et impetu commonendi*. ** Sic vero ad officia erga proximum aequae restringitur.

§ III.

Rem vt accurate expediamus, praemittemus principium, ex quo tota conficietur. *Tam late nimirum patet obiectum mansuetudinis externum, ac eius internum. At ira non tantum aduersus homines, sed et aduersus Deum, quin et aduersus nos ipsos illicite efferuescit: ergo et ratione eadem moderari fas est. Hinc, quae in eadem moderanda versatur virtus, et erga Deum, et erga homines et erga nosmet ipsos se exerit.*

§. IV.

Natura vt gratiae opponitur, vel abstractiue vt in se est, spectatur, et ratio audit: vel concretiue, vt est in homine

A 3

* in der Einleitung in die Christliche Moral P. I. c. II. Sect. III. §. LXI. ** in der Sittenlehre der heil. Schrift P. IV. c. I. §. VIII. p. 258.

homine siue animali siue deprauato, consideratur, idemque signat ac *temperamentum* et *caro*. Mansuetudo proinde vt naturae est et gratiae vel *ethica* est, rationis; vel *christiana*, illuminationis. Vel *naturalis* est, temperamentum; vel *desideriosus*, fidei. Vel *carnis* est, et carnalis audit; vel *spiritus*, et spiritualis inde salutatur. Pro triplici hac relatione mansuetudinem naturae ab illa gratiae dicas differre, et quoad *principium effectiuum*, et quoad *normam*, et quoad *motiua*, et quoad *finem*.

§. V.

Mansuetudinis, quae dicitur naturae, principium effectiuum vel est *ratio* sibi relicta, in sapiente qui coeco non agitur adfectuum impetu, operosa: vel *temperamentum*, in homine siue mitis ingenii, siue obtusi pectoris, naturae agitato ignauia, mollitiae aut torpore: vel *caro* in iis, qui aut ob vulneratam conscientiam iram refrinant, aut honoris subdole cupidi dissimulant, aut infirmitatis metu supprimunt, aut facultiae opportunitatem quaerentes tegunt. Sed mansuetudinem gratiae efficit illuminatio, voluntatem fortius impellens: producit fides, paupertatis spiritualis sensu negotiosa: operatur Spiritus, cuius fructus dicitur GAL. V. 22.

§. VI.

Mansuetudinis *ethicae* norma ratio est eademque obiectiua, seu in suis principis spectata, ad quorum amussim effingitur virtus et diiudicatur. *Naturalem* temperamentum ordinat et ad congenitam sui indolem componit: *carnalem* ad carnis desideria videmus conformari. At mansuetudo gratiae normam habet legem Dei, exemplo

exemplo Seruatoris mitissimi collustratam MATTH. XI. 28. coll. EPH. IV. 2. COL. III. 12. Norma haec quantum quaeso claritate, certitudine, perfectione, sanctitate, antecellit?

§. VII.

Motiva mansuetudinis *ethicae* sunt irae forditas, virtutis vtilitas: *naturalem* iucunda inclinationis conuenientia eiusque exsatiatio commendat: *carnalem* philautia inordinata ambitionis, auaritiae, voluptatis facibus incendit. Mansuetudo gratiae sanctioribus longe verge tur incitamentis. Mouet nempe sanctissima Dei voluntas TIT. III. 2. illustrissimum Christi exemplum MATTH. XI. 28. Dei erga peccatores lenitas II. COR. X. 1. PS. CIII. 10. Spiritualis naturae indoles GAL. VI. 1. Nominis Christiani dignitas I. PETR. III. 16. Virtutis pulchritudo IAC. III. 13. Paupertatis spiritualis sensus. MATTH. V. 5. coll. v. 3. Coelestis promissio PS. XXXVII. 11. Irae turpitude et vanitas, siue erga Deum, siue erga nosmet ipsos, siue erga fratres impie et iniuste exardescat.

§. VIII.

Finis mansuetudinis naturae is est, quem egoismus moralis praefixit: at gratia eo laborat, vt exemplari virtutum eius, qui nos vocauit, annunciatione celebretur Deus, I. Petr. III. 9. coll. Eph. IV. 1. 2.

§. IX.

Ex lupis agnos nonnisi gratia effingit: nec ad genuinam mansuetudinis indolem adsurgit natura. Materiale virtutis aliqua ex parte suppeditat ratio: sed formale a religione pendet. Haec vires in regeneratione largitur: normam

normam per reuelationem declarat: motiua ex indole nouae creaturae vrget: finem homine Christiano dignum emetitur. Discernas exinde mansuetudinis ementitiae laruam a Christiana veri nominis virtute: quam in rem confer cl. ESPRIT Salscheit der Menschlichen Tugenden * Exempla e profanis offerent MARC. FRID. WENDELINVS ** NIC. VERNVLAEVVS *** et plures alii. Dabit et VALERIVS MAXIMVS. *

§. X.

Est vero Mansuetudo Christiana *Virtus hominis regnanti ex paupertatis spiritualis sensu iram ita moderans, ne eius commotio in laesionem officiorum erga Deum, nosmet ipsos et proximum erumpat.*

§. XI.

Paupertatis spiritualis sensus tria inuoluit, hominis miseriam, gratiae vbertatem, indignitatis conscientiam. Hunc fundamenti loco substernit Seruator v. 3 Vide dicta S. I. §. V. et XVIII. Adde integram dissertationem nostram ad MATTH. V. 3. *Pauperes Spiritu.*

§. XII.

Animi ferocientis commotiones vbi compefcit paupertatis spiritualis sensus, ita nos sub manu Dei humiliat, vt eius ordine, decretis, regimine, castigationibus, nihil offendamur, sed animum vera fide submittentem, in voluntatis paternae sanctitate placide acquiescamus. *Vae contententi cum factore suo, exclamat IESAIAS*
c. XLV.

* p. 244. 288.

** in Philof. Mor. L. I, c. XXII.

*** Infit. Mor. L. III. T. V. c. IV. L. V. c. I.

p. 460. 61. ed. Io. Weissii.

Distorum sagharumque memorabilium,

c. XLV. 10. At quam facile excandescit caro. Tristi exemplo ad aquas contentionis comparet Israel. *Hae sunt aquae contentionis, ubi contenderunt filii Israel aduersus Dominum, et sanctificatus est in eis, sc. internecione eorum* NVM. XX. 13. Offenditur natura ordine poenitentiae, et caro latrat crucifigenda: vnde IACOBVS hortatur, vt verbum euangelii recipiamus *et* IAC. I. 21. Murmurat ratio ad decreta Dei, vbi iudicia eius sunt imperscrutabilia; vt capistrum ei iniiciat Paulus: *Atqui o homo, tu qui es, qui ex aduerso respondes Deo? Num dicet frumentum ei, qui siccit: cur me siccisti ad hunc modum?* ROM. IX. 20. Indignatur philautia felicitatem impiorum, in ipsam Dei *providentiam* iniuria: vt et Assapho opus fuerit fecedere in sanctuarium PS. LXXIII. 2.-17. Inprimis tribulationis aestu conturbatur priscus homo, vt frenum mordeat; mansuetudinis Apostolo ea de causa fratres compellante: *o Charissimi! ne miremini, dum per ignem exploramini, quae res ad experimentum vestri fit, perinde quasi nouum aliquid vobis obtingat.* 1. PETR. IV. 12. Tunc vbi natura se effert, iudiciorum causam sciscitans, os comprimit religio, ad Davidis exemplum nos conformans: *obmutui, non aperui os meum: quia IV fecisti.* PS. XXXIX. 9. *

§. XIII.

Sicut ira aduersus nos ipsos concitata inquietudinem parit nostrique fastidium, ad desperationem vsque quin

B

et

* Eandem mansuetudinis rationem, qua virtutibus annumeramus *erga Deum* demonstrandis, iam iniuit MART. CHEMNITIVS in Harm. Ev. ad h. l. Matthaei c. LI. Eodem concessit

et b. RAMBACHIVS in commentatione ascetica valde eleganti *über die acht Seeligkeiten.* Medit. IV. p. 54. 55.

et *ασθητικως* procedens: ita frenum ei iniicit mansuetudo, ut nostra simus forte contenti, delictis ignoscamus poenitentia corrigendis, mala nobis attracta feramus patienter, nec iracundis animi perturbationibus in nostram perniciem diffluamus. Quintus angelus cum effunderet phialam suam super sedem bestiae, *commanducauerunt linguas suas prae dolore, et conuulsi affecerunt Deum, nec egerunt poenitentiam.* APOC. XVI. 10. 11. At colligit animum ecclesia Dei, mente tranquilla hostibus occinens: *Ne laeteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam. Quum sedero in tenebris, Dominus mea lux est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* MICH. VII. 8. 9. adde PS. XLII. 11. 12. *

§. XIV.

Quodsi aduersus proximum exardescimus, vel eius infirmitate, vel humilitate, vel felicitate, vel desiderii, vel iniuriis offendimur. Quintuplici itaque ratione virtus irac moderatrix erga proximum se exerit. Infirmitatibus eius blande indulget: humilitati comiter parcit: felicitati non inuidet: desiderii amice obuinit: iniuriis non exacerbatur. *Infirmitas est* vel incitiae, vel erroris, vel transgressionis. Incitiam mansuetudo humaniter instruit, aut inemendabili ignoscit I. PETR. III. 15. 16. Errorem si diuino honori non officiat nec malitia adsit, suauiter refellit et placide tolerat. ROM. XV. 1. Transgressionem non proaereticam sedate corrigit, et emendatae condo-

* Officiis quoque erga nos ipsos mansuetudinem accenseri posse, perspicit utique ADAMVS BERN- DIVS in dem Leben des Glau-

bens p. 954. Quin et reuera iis accensuit b. RAMBACHIVS in der Moral Theologie c. IV. §. 30. p. 854. ed. Erf.

condonat. GAL. VI. 1. Aduersus *humiles* facile concitantur, qui elatioris sunt animi, pro iniuria fere repuantantes humanitatis confortium, vbi cum ipsis agendum est. At placide ad eorum tenuitatem se demittit mansuetudo; cogitans, pauperes a Deo electos IAC. II. 5. Ex aliorum *felicitate* aegritudinem persentiscit philautia, dum eos longe indigniores iudicat, qui sibi vel aequiparentur vel anteferantur. Sed coercet inuidiam spiritusque deprimat propria indignitatis conscientia, in voluntate Dei distribuentis mansuete acquiescens PS. XXXVII. 1. -- 11. Mouemur hominum *desideriis*, si aut molesta aut iniqua sunt: sed tegit molestiam mansuetudo, et iniquitati aequiora substituit 1. PETR. III. 15 - 17. Imprimis aduersus *iniurias* animum confortat lenitatis virtus, vt illatas sedate feramus, morum suauitate et beneficentia hominum improbitatem superare contendamus, naturae acerbitatem compefcamus, commissa obliuioni tradamus, vindictam Deo committamus, inimicis condonemus. Ita suis praeiuit Rex ille *mansuetus* ZACH. IX. 9. qui *auspectus conuictis non vicissim conuiciabatur, pugnis caesus non mimabatur, sed causam committebat iudicanti iuste* 1. PETR. II. 23. quin et *pro percussoribus suis intercessit* LVC. XXIII. 34. Ad hanc vtique erga proximum mansuetudinem validissimis nos compellit *stigmulis spiritualis nostra paupertas, vbi spiritu humiles cogitamus et nostras et generis humani infirmitates, peccata, indigentiam, Deique erga nos longanimitatem.* IAC. III. 2. PS. XIX. 13. ROM. III. 23. HOS. XI. 8. 9. * B 2 §. XV.

* Placuit ea de causa viro max. reu. PETRO HANSENIO ista mansue-

§. XV.

Iram vero in explendis erga Deum, nosmet ipsos et proximum officiis, non *eliminat* mansuetudo, sed *moderatur*. In contraria quidem abit schola Stoicorum, cui vt adfectus in vniuersum omnes reputantur mali, ita et ira in vitiorum numero habetur, et prorsus damnatur. In hanc sententiam tres libros *de ira* conscripsit SENECA. Nostra quoque memoria pravis iram adfectibus accensuit CHR. THOMASIVS, definiens, quod sit *vitium ambitiosius ex iniuria accepta dolorem suscitans et vindictae cupiditatem*. * Cum nonnulla hanc in rem monuisset b. BVD-DEVS: ** peculiari dissertatione eandem Thomasi sententiam aduersus eum defendendam suscepit b. IO. PHIL. SCHLOSSERVS. *** Sed salua res est, modo in definiendo circumspiciendus procedatur. Etenim ¶ Irascibilis facultas homini aeque naturalis est ac concupiscibilis, tenditque in sinem aeque salutarem ac illa. Quod amor est in appetendo bono, id ira praestat in auersando malo. Non in vitio est facultas, sed eius abusus. Sipienti eam consilio pectori nostro infixit Deus, vt ad propulsanda mala eo animosiores procederemus: nec carere ea potest genus humanum, vbi tot felicitatis nostrae hostibus motu vehementiori occurrendum est. Hinc 2) qui naturam humanam absque inhaerente ei labe adsumsit Seruator, *ira exarsit*. MARC. III. 5. Principium petit

mansuetudinis finitio genetica, daß sic (sch):
eine Einscheidung von denen mannigfaltigen
Gebrechlichkeiten aller Menschen in der
Christl. Sittenlehre T. II. L. II.
S. VI. p. 57^{ky}

* in Praef. Eib. c. X. §. 39. p. 246.
** in Theol. Morali, C. I. §. VI. §.
XXXII. p. 224.
*** De Morali Assimilatione irae, Vi-
temb. 1723.

petit cl. Schlosserus, dum *οργη* ideo, quod *adfectus prauus* sit, proprie de Christo praedicari non posse, asserit: neque aliam hoc loco vox *οργη* eius iuasum induerit significationem, ac ceteroquin per scripturam obtinet. Effectiue, ut alias de Deo, ne interpreteris obstat status exinanitionis: IO. III. 17. ergo *adfectiue* sumendum est. 3.) Deo frequentius iram tribuit scriptura: quod fieri nequitquam posset, si per se praua esset. Concedo, quod vitium est *in homine*, id Deo per virtutem quandoque tribui omnino posse; sed non quod in se suaque natura vitium est. Sic *irrisio* in se spectata, nulla laborat prauitate morali: nisi Eliam Baalitas non sine peccato *risisse* dixeris. Male igitur in contrarium obuertitur. 4.) Iram non ita reprehendit Scriptura, quin iustam prober. Sic MATTH. V. 22. additur *vin. timore*, sine iusta causa: *quis qui fratri suo irascitur vin.*, quod nullatenus addi potuisset, si ira in se illicita foret. Eundem in modum et Paulus EPH. IV. 26. *οργιζομε* inquit, *ου μη αμαρτανετε*, concedens citra peccatum iram posse concitari. adde IAC. I. 19. 5.) irae vacuitas, ubi exarscere debuisset, in vitio ponitur. Ita Sacerdoti Heli exprobratur, quod noluerit filios suos indigne agere, nec in eos inuictus sit acriter I. SAM. III. 13. adde APOC. III. 15. 16. 6.) Ira datur sancta, quam Zelum dicimus, diuinitus immo excitata. Tali Moses incendebatur, crudelitatis vltor EXOD. II. 12. Hoc instinctu agebatur Simson IVD. XIV. 6. et Pinehas NVM. XXV. 7. 8. Elias I. REG. XIII. 40. II REG. I. 10. 12. totidemque alii. Sic et Paulus Atheniensium superflitionem perhorrescens *περοξυνητο το πνευμα αυτου εν αυτω* ACT. XVII. 16. 7.) Datur ira officiosa, inter virtutes cum-

maxime eminens. Sic Paulus de se scribit: *aequis scandalizatur, ου μη εγω περιεμυ* II. COR. XI, 29.

§. XVI.

His praestructis ita adornanda est *irae* definitio, ut utramque et iustam et iniustam complectatur. Dixerim ego *concentrationem animi aduersus iniuriam*. Probauerint hanc notionem Viri eruditi, si sequentia adtendant. 1.) *Iram* non malum quodcunque imminens, sed tantum iniuria provocat: unde minus adaequate dicitur *cupiditas depulsandi malum*. * Incurrimus pericula nobis depulsanda, et mala irruunt grauissima: at non irascimur. 2.) Finiuerunt veteres, quod sit *cupiditas vlciscendae iniuriae*: ** Sed vltionem non semper intendit ira: sufficit et detestatio. Ita irascimur iniustitiae cuiusdam relatione, et iniuria nihil directe ad nos attinente: animus vlciscendi adhuc abest. 3.) Neque *taedium insigne dixerim ex iniuria, coniunctum cum odio eius, qui eam intulit*, quae illustris WOLFFII est definitio, cl. SCHLOSSERO adoptata: multoties enim irascimur, non aequae laedentem respicientes ac laesionem. PS. XXXVII. 1. 4.) Vocem *iniuria* sensu sumimus purioris Latii, quo non solum laesionem famae, sed iurium quoruncunque, quin et ex damno redundantem, complectitur. 5.) Nec adstringimus ad iniuriam nobis tantum illatam: cum et ira excandescat repraesentatione alienae. 6.) Qualis est iniuriae repraesentatio, talis et est animi concentratio: inde gradus irae, concentratae

* Eo concedit b. BVDDVS in *Theol. Mor. C. I. S. VI. §. XXI. p. 312.* et b. SPENERVS in *Respons. Gerw. posthumis P. I. p. 13.*

** Ita Stoici: nec multum ab hac notione discessit *Aristoteles*, indice SE-NECA de ira L. 1, 3. dum *cupiditatem* dixit *reponendi doloris*.

citatae siue ad detestationem, siue ad depulsionem, siue ad vitionem.

§. XVII.

Nunc e diuerticulo in viam, vt qua ratione istam animi aduersus iniuriam concitationem moderetur mansuetudo, declaremus. I. Cum iniuria vel vera est vel cerebrina, iram ita refrenat, ne *aduersus cerebrinam exardeat*. Imperat ideo imaginationi, falsasque eius delet imagines, ne concitetur adfectus; aut, vbi concitari sentit, increpat et reprimit. Sic nullam nobis Deus facit iniuriam, nec facere potest: attamen eius ordine, decretis, regimine, castigationibus natura concitatur deprauata, vt iniuriam existimet. MATTH. XX. 11 13. Moderatur hic mansuetudo adfectum, ne aduersus Deum, sed pro Deo exardeat (§. XII.) Sibi ipsi homo irascitur, culpam mali imaginarii in se coniciens. Compescit mansuetudo adfectum, ne in sui laesionem, sed conseruationem excandescat. (§. XIII.) Iniuriam proximo imputamus vbi nulla est; superioribus irascuntur inferiores, vbi officium faciunt: Verum et hic iram coercet virtus, ne amor et reuerentiae officiat; pro salute communi vt militet, non contra eam (§. XIV.) Operatur hic cum maxime paupertatis spiritualis sensus, elatos sub indignitatis conscientiam deprimens spiritus. (§. XI.)

§. XVIII.

Cerebrinae iniuriae annumeramus dolorem ex rebus, in quas nulla cadit imputatio. Sic equo, sic tempestati irascuntur homines impotentis animi: illi, quod obedientiam denegat; huic, quod spem defraudet aut sensatione minus

minus grata adficiat. Neque vero hic suis partibus deest mansuetudo, coercens ferociam, ne conficta iniuria in Deum nosmet ipsos aut proximum, impie et iniuste deuoluatur.

§. XIX.

II. Si veri nominis iniuria animum concitat, mansuetudo iram ita moderatur, vt *theologico. morali iniuriae aestimationi* sit attemperata. Hinc a) *Subiecti laedentis rationem init.* Iis qui per imbecillitatem humanam peccarunt absque proposito, vel qui culpam deprecantur; non irascendum, sed condolendum est. GAL. VI. 1. Iis, qui proaereticè peccarunt, nulla actis scelerum poenitentia, iuste irascimur; distinguentes tamen personam a facto. Illi amorem seruamus, dum aduersus hoc incendimur. MATTH. V. 44. c. XVIII. 21. 22. LVC. XXIII. 34. b) *Obiectum laesionis personale distinguit.* Iniuria aduersus Deum, siue impia doctrina, siue scelerata vita commissa, ira religiosa derestanda, propulsanda, vlciscenda est. Hic lenitas in peccatum degenerat. PS. CXXXI. 21. 22. PROV. VIII. 13. PS. XXXI. 7. Quae nobis infligitur; vel nostrum officium tangit, vel personam. Iram officialem exigit mansuetudo, sed laesioni attemperatam: iram personalem si defensua est, quantum ad conseruationem nostram et depellendum exitium requiritur, admittit; offensiuam supplantat, remittens ad exemplum Christi. 1. PETR. II. 23. Proximum quae afficit iniuria, pro nexu diuersitate nobis cum eo intercedentis, diuersimode sentitur. Quod inter parentes et liberos, principem et subditos, marem et coniugem, herum et seruum,

seruum, Praeceptorem et discipulos intercedit vinculum, concitationem animi ex eorum laesione eo iustiorum efficit, quo maiora sunt, quae ipsis debemus pietatis officia. Reliqua ex amore communi et fraterno, ipsiusque laesionis indole, decidantur. *γ.) Obiectum laesionis raele considerat.* Iniuriam aduersus religionem, patriam, libertatem non dissimulat mansuetudo, sed iusta indignatione profligat. Quae famam, opes, et reliqua status nostri externi violant, vel leuiores sunt, et indigniora prorsus, quibus succensetur; vel grauiora, quae quidem ita sentit mansuetudo, vt ab omni priuata vindicta abstinens, vltionem, ne malum serpat si requiritur, magistratui committat, ceteroquin veto *επιτιμια* obseruet, Christiano commendatam PHIL. IV. 5. *δ.) Laesionis effectus comparat.* Hi quo perniciosiores sunt, eo iustior euadit ira: sed temperat mansuetudo, vt malorum depulsiōni maneat proportionata. *ε.) Modum in ira tenet.* Cauet ne sit maior delictio: circumspicit officia, quae Deo sibi et proximo debeantur, ne in extrema abripiatur: placari se sinit, quin et laedenti procedit obuiam. MATTH. V. 25. *ζ.) Finem Christiano dignum intendit.* Non vt carnis desideria exsatiētur, sed vt Dei gloria et publicum commodum seruentur illaesa. *η.) Iusto tempore exardet, iusto ab ira remittit.* PROV. XII. 16. EPH. IV. 26.

§. XX.

III. Cum eo vsque corrupta sit natura hominis, vt ira viri non operetur iustitiam Dei; naturae ferociam ita emendat mansuetudinis virtus, vt tardiores euadamus ad iram, nec iniuriae impatientes nimis cito efferuescamus. Sic

C

C

Sic monuit Apostolus IAC. I. 19. 20. non iram, sed irae praecipitantiam reprehendens. Exempli loco sunt filii Iacobi, Simeon et Leui. GEN. XLIX. 5. 6. Hinc
 a.) Tribunal imaginationis euerit, animunque affluafacit, vt iniuriae aestimationem statim ad rationis iudicium demoluat. b.) Quae in doctrina de iniuriis animo insident praecipitantes, euerit, nostramque theoriam ita emendat, vt ad legem Christi vbique respiciatur. c.) Cum naturae acerbitate in accipiendis iniuriis magis ad iracundiam propendemus, inclinatiores nos reddit ad lenitudinem, ne adfectus vbi concitatur, a carne armatus, suo nos impetu in oppositum periculosius agat praecipites.

§. XXI.

IV. Ira siue naturae infirmitate, siue laesionis grauitate quando efferbuit, interloquitur mansuetudo, contrariae tam diu partis causam suscipiens, vsque dum ratio collustrata decidat. Omnia tunc colligit. Urget temperamentum, educationem, praecipitantes, probitatem, statum, humanam infirmitatem, diuinam benignitatem, Christiani officium, et sic porro; donec aut ira deserueat, aut ratio defendat.

§. XXII.

Plures inuoluit virtutes mansuetudo, quarum egregium plane nexum ostendit Paulus COL. III. 12. *Induite igitur tanquam electi Dei, sancti ac dilecti, viscera miserationum, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem.* Pars inter causas procreantes praecedat, pars ipsam virtutis constitutionem ingreditur. Ita supponit mansuetudo
 m.) *σπλαγχνία* viscera miserationum, seu amorem de miseria

miseria hominum ita dolentem, vt iram in commiserationem commutat. Laedentem dum contemplamur vt miserum, non irascimur. β) *χαρησθησα* benignitatem, seu studium amoris vnicuique se vtilem praestandi. Qui commodis proximi inferuire laborat, nullo tam facile mala infligendi desiderio incenditur. γ.) *ταπεινοφροσυνη*, *humilitatem*, seu propriae infirmitatis sensum, in deprimenda animi elatione negotiosum. Ita certe mansuetudinis mater euadit humilitas, vt vbi desimus insolentius nos efferre, et iracunda cesset iniuriae reputatio. Sunt aliae virtutes, quas vt partes potestatis mansuetudo sub se comprehendit. Nominat Apostolus a.) *μακροθυμια* *longanimitatem*, seu continentiam animi in iterato offensionis sensu, vt serius exardeat. Addimus huic b.) *επιεικειαν*, *acquitatem*, seu temperantiam animi in exigenda iuris aduersus proximum seueritate. PHIL. IV. 5. TIT. III. 2. Accedit denique c.) *πλακαλιτας* seu propensio ad condonandum. MATTH. V. 24.

§. XXIII.

Oppositum mansuetudinis ex altera parte est *iracundia*,* ex altera *lentitudo*. Illa vitium est in irae excessu, haec in defectu. De illa non est, quod moneamus: vitiorum vero catalogo non desunt, qui hanc eximant. De Stoicis et CH. THOMASIO iam diximus: inclinat et ad has partes, quod miror, HVGO GROTIUS. ** Sed quae de ira eiusque moderatione disputauimus, suffecerint.

C 2

* Quandoque vox haec idem exprimit ac *facultas irascibilis*: at hoc sensu non sumimus, dum vitiiis adfociamus. Ceterum subdiuidere posses, vt lenitati opponeretur *acerbitas*; *clémentiae*, *crudelitas*, comp. §. 1.
** in Praef. operis de I. B. et P. §. XLIII.

rint. * Pro ratione naturae deprauatae lentitudo duplicis est generis: *physica*, temperamenti; *moralis*, ex obsequio carnis. Illam dixeris naturae asininae: hanc in lentitudinem superbiae, avaritiae, mollitiei recte divides.

§. XXIV.

Tantum abest, ut mansuetudo *Zelum* extinguat, ut potius commendet atque repurget. Definitio non adeo facilis est. Duo moneamus. Alterum, quod acceptione scripturaria *Zelus* sit vel *bonitatis* vel *irae*. Istum, feruorem dixeris in praestandis promissis IES. IX. 7. hunc, in exequendis comminationibus. HEBR. X. 27. Vtrumque vna voce complectitur Deus EXOD. XX. 5. Sed de zelo bonitatis hoc loco non agimus. Alterum, quod moneamus, zeli obiectum concernit. Errant viri eruditi, qui tantum ad religionem coarctant: ** datur enim et *Zelus Principis* pro salute civitatis, legumque custodia; *Zelus parentum* pro liberis. cet. Definiuerim ea de causa quod sit *ira officiosa aduersus laesionem sanctiorum iurium*. *Ira* haec vel est naturae, vel gratiae. Illa vel naturae est ut in se spectatur, et dicitur *naturalis*; vel, ut est corrupta, et dicitur *carnalis*. Haec, quae gratiae est, *spiritualis* recte appellatur. Naturalis religioni non sufficit; carnalem damnat:

*** Vnicum addam, nimirum elegantem THEAGIS hanc in rem sententiam, *Ira*, inquit, et cupiditas ad Principem animi partem ita ordinantur, ut altera illius quasi satellites sit corporisque custos, altera oeconomus et curator necessariorum. Deinde cupiditatem obsequatori, iracundiam militi comparat.

Addit HENR. MORVS Opp. Phil. T. I. p. 36. hanc magis nunc necessariam esse ac illam; cum nostra magis interfit amoliri mala, quam gaudere tot bono non necessariis.

** ita Summe reuerendus HEV MANNVS definit in Diss. de Zelo §. III.

damnat: unde sola spiritualis probatur. Pro triplici statu in coetu Dei differentia, vel est Principis pro Deo et patria, vel Christiani pro religione, vel Parentum pro liberis.

§. XXV.

In primis doctoribus ecclesiae Zelus pro religione incumbit. Sequentia hic teneantur. 1.) Mansuetudinem Theologicam cum Zelo Theologorum consistere posse, docet exemplum Christi, mansuetissimi aequae ac zelosissimi. MATTH. XI. 28. coll. cum MATTH. XXI. 12. 13. et c. XXIII. toto. 2.) Zeli istius vacuitatem infamia notauit scriptura ES. LVI. 10. unde eius feruor virtutibus adnumerandus. Quin et exigit rei ratio, ut in tanta hominum somnolentia, peccandi licentia, periculis granitate, causam Dei agamus minus oscitanter. 3.) Zelum carnalem, qui est vel ambitionis, vel avaritiae, vel cupiditatis, nemo defenderit: sed et spiritualem ad hominum malefactorum quaestiuosa principia, et lentitudinem spiritualem, nemo Christianorum conformauerit. 4.) Zelus est vel theoreticus vel practicus: uterque theologico morali iniuriarum aduersus Deum et eius verbum aestimationi sit attemperatus. 5.) Prius ad obiectum reale et perniciosiores laesionis effectus, ac ad animum subiecti laedentis hoc loco respiciendum est: nec illorum aestimationi derogandum, ut huic parcat. 6.) In mitiorem hic cum natura propendat partem, consultius est, ut in oppositam inclinet fides. Tutius enim est, cum Paulo dixisse: *οἷο ἐξέστημεν*, 2. COR. V. 13. 7.) Exemplum denique Christi et Apostolorum non ad nostra

principia, sed principia nostra ad eorum exemplum conformemus.

§. XXVI.

Officium mansuetudinis catholicum est: neque ea carere potest vlla Christianismi actas, nec ecclesiae status. Exuenda est naturae ferocia, vt digne recipiatur doctrina crucis, vt conuenienter ei viuatur in regno crucis. IAC. I. 21. ACT. XIV. 22. Indiget princeps, ne feueritate noceat, truculentia perdat. LEV. XXV. 43. ECCL. VII. 17. Indiget euangelii doctor, ne in docendo excedat impatientia; in arguendo, acerbitate; in patiendo, animi impotentia. I. TIM. VI. 11. II. TIM. II. 24. TIT. I. 7. * Indigent conjuges, ne altercandi libidine se inuicem exrucient; filium castigationis atrocita perdant. PROV. XIX. 18. 19. EPH. VI. 4. Eminere debent hac virtute Christiani in vniuersum omnes: est enim *fructus Spiritus*. GAL. V. 22.

§. XXVII.

Media mansuetudini promouendae inseruientia vel irrogenitis praescribuntur, vel regenitis. Illis, vt ferociam naturae in ordine poenitentiae exuant, et ex lupis agni fiant, praecipendum. His media suppeditentur tam generalia, quam specialia. Generalia, quibus incrementum spirituale et virtutis exercitium generatim iuuatur, sunt: precum ardor, crucifixio carnis, foederis baptismalis contemp latio, frequentior sacrae coenae vsus, meditatio mortis

* Peculiaris dissertazione hac de re HEIM, de praecipuis doctoris euangelici crudite, vt solet exposuit. Vir summe venerabilis IO. L. AVR. A MOS-HELMſt, 1732.

mortis et aeternitatis, exploratio sui ipsius, conuersatio cum Deo, occasio peccandi euitatio, Specialia, quae hanc potissimum virtutem concernunt, sequentia commenduntur: paupertatis spiritualis quotidiana recordatio, motiuorum mansuetudinis viuidior repraesentatio, iniuriarum theologica aestimatio, Christi ubi concitatur mansuetissimi contemplatio, irae in misericordiam commutatio, praecudiciorum extirpatio.

§. XXVIII.

IV. Impedimenta sunt: carnis in aestimatione iniuriarum ferocia, philantiae inordinatae impetus, perdita exempla, genius mundi.

§. XXIX.

In ferenda de mansuetudine fratrum sententia magna opus est cautione: nec iudicatu tam facilis res est. *Multii videntur mansuetissimi, nec sunt. Aliis exprobratur acerbitas, qui mansuetissimi sunt.* Mansuetudo itaque sordida temperamenti, et hypocritica carnis, siue superbiae, auaritia, cupiditatis, iram dissimulantium, a mansuetudine christiana, pro differentia naturae et gratiae, ex iis, quae supra §. IV-VIII diximus, probe discernantur: nec ante mansuetudinis fratri abiudicetur elogium, ac omnium circumstantiarum, sub quibus proportionata irae requirebatur moderatio, praecesserit cognitio. vide dicta §. XIX. seqq.

§. XXX.

In tanta mansuetudinis dignitate et necessitate, prona est consequentia: *Quae Spiritum mansuetudinis et theoria et praxi sua eicit ecclesia, non est Christi ecclesia.* Meo iure subsumo: *Atqui ecclesia Romana.* Ergo. Minorem vt probem, prouoco

promoco ad doctrinam Romanensium de *occidendis haereticis*; * et ad sanguinem per totum fere terrarum orbem aduersus Cainitas clamantem. Expeditionibus cruciatis aduersus Waldenses et Albigenes, quid vnquam crudelius gestum est? ** Sanguinolentum inquisitionis iudicium nonne adhuc facit? *** Frustra obuertunt Romanenses supplicia capitalia in haereticos, sub veteri test. statuta. Non enim in haereticos, sed in idololatrias et falsos Prophetas, quando ad idololatriam seducebant, poena mortis animaduertebatur. DEVT. XIII. 2. 5. c. XVII. 2-7. c. XVIII. Deinde lex haec forensis erat, et metuendae reipublicae per idololatriam concussioni cauebat. Neque huc trahi potest, cum ipsi aduersarii non diffiteantur, nullum ius esse ecclesiae in idololatrias. * Et si omnia concederem, sublati foret haec constitutio cum synagoga Iudaeorum, et pro ratione N. T. contrarium constitutum. *Zizania* nunc iubemur *ne eradicemus, sed sinum crecere*. MATTH. XIII. 28. ** et seueritas, qua feruebat Elias, nunc interdicta est Christianis, cogitare iussis, *cuiusram spiritus* in hac oeconomia *sint filii* LVC. IX. 52. Apposite hanc in rem ipse GRATIANVS: *Ecce quod mali tolerandi sunt, nec corporali sed spirituali vindicta sunt puniendi.*

* BELLARMINVS de *Lalcis* c. XXI. Quos nostra memoria *IAVORSKIVS* excitauit strepitus? Vide b. *BVL-FINGERVM* et S. R. *MOSHEMIVM* in scriptis *de poenis haereticorum* et oppositis. Confer et b. *DREIERVM* in *Diff. Antipontif.* *Diff. XXVI.* p. 777. seqq.

** IO. LEGER in *Hist. Persecut. Waldensium.*

*** IO. A LIMBORCH *Hist. Inquis.* adde Autores *FABRICIO* laudatos in *Luce Euangel. Propagat.* p. 513. seqq.

* BELLARMINVS L. III. de *Lalcis* c. XXII. Resp. ad 3. et 9.

** CHR. MATTH. PFAFFIVS in *Diff. de Zizaniis non euellendis.*

niendi. Vnde cum discipuli, non recepti a Samaritanis, ignem coelitus super eos deducere voluerunt, audierunt: nescitis, cuius Spiritus estis? Item: omnis qui gladium acceperit, gladio peribit.* Denique ipsi cogitent aduersarii, quam immani crudelitate legem confictam in errantes adplicauerint. Non blasphemi fuerunt, non idololatrae, quos tot trucidarunt agminibus Waldenses, Albigenfes; sed animae leuius errantes, qui nonnullos tantum increparunt ecclesiae abusus, et curiae romanae accusarunt tyrannidem.** Sed ita feruet Spiritus Antichristianus, vt grauioribus ignoscat delictis, modo quaestui parcatur, in eos potissimum fulmina vibrans, qui erroribus quaestuosis curiae et culinae contradicere audent. An is est Spiritus mansuetudinis euangelicae? Taceo tot persecutiones, iniurias, religionis grauamina, quibus vndique premimur qui Iesum Christum vnicum adoramus mediatorem, nostraque omnia ad scripturam sacram componere pio laboramus studio. An haec, quae docet, quae indulget, quae probat ecclesia, Spiritu Christi incenditur? Sed dignum est hoc argumentum, quod in confusionem eorum, qui argumentis adhuc generalibus aduersus nos tumultuari consueuerunt, commentatione peculiari deducatur vberius.

§. XXXI.

Haereditatis beneficio quae mansuetis addicta est terrae possessio, noui Romanenses erroris arguit. *Si ex gratia*
D *est*

* Causa XXIII. Quaest. IV. c. Tres in *Memor. Hist. Eccl. Sec. XII. S. XVII.* p. 996. Legatur et S. BERNHARDVS, scriptor coaeuus; *epist. CCL.*

** CHR. EBERH. WEISMANN

est haereditas, non est ex merito? Ita nos concludere docuit Paulus GAL. III. 18. Si ex lege nata est haereditas, non iam ex promissione. Atqui Abrahae per promissionem usqueque, gratiose donavit Deus. Meriti proprie sic dicti ratio est ut debeat: sed donatur haereditas, et gratiose quidem donatur. Absurde hic excipiunt Pontificii, quod dignitas merendi, operibus concessa, sit res gratiae: sic enim cessat meriti proprie sic dicti * formalis ratio. Confundunt clamore inani mercedem et praemium. Remunerationem elargitur Deus ut Pater, nosque accipimus NB. non alia relatione ac filii. Vacuum sit cerebro caput, qui hic mercedem cogitet. Hinc toties scriptura omnem profus excludit meriti influxum. Audiamus Paulum EPH. II. 8. 9. Saluti estis 1.) gratia 2.) per fidem 3.) non ex vobis 4.) Dei donum est. 5.) non ex operibus. 6.) ut ne quis gloriatur. adde TIT. III. 5. ROM. III. 24. 28. c. IV. 5. LVC. XVII. 10. Mercedis itaque vocabulum scriptura non aliter ac sensu his assertis conuenienti accipere potest, ut mercedem improprie sic dictam ex idearum antithesi connotet, quam praemium dicimus. In parabola de operariis in vinea mercedis dum occurrit mentio, caue ne externa historiae factae cum internis dogmatis confundas.

§. XXXII.

Eadem est haereditatis terrae promissio, decalogo inserta, cum hac nostra, quam mansuetis pollicetur Christus, nisi quod illi adhuc typice quid sublit, huic non item.

Verba

* BELLARMINVS de Iustific. utre ac proprie esse merita. Adde CON-
L. V. c. I. Communis habet catholicorum CIL. TRIDENT. sess. VI. de Iustific.
minium sententia, opera bona iustorum c. XVI.

Verba decalogi EXOD. XX. 12. *ut prolongentur die: tui super terram, quam Iehouah Deus tuus daturus est tibi* * terram Canaanis manifesto respiciunt: populo enim danda erat, quem Deus ex Aegypto eduxit v. 2. et cui Canaanis ex pacto Abrahamitico confirmata fuerat promissio, cum educeretur. EXOD. III. 8. 13. c. VI. 4. 8. At Canaanem hanc terrestrem typum fuisse Canaanis spiritualis atque coelestis, in dissertationis Sectione priore enictum est. Verba itaque decalogi hunc sensum habent: *ut prolongentur dies tui in terram, tam typica Canaanis terrestris, quam antitypica felicitatis coelestis.* Typus restrictus erat ad populum Iudaicum et oeconomiam veterem: sed illa nunc cessante ad antitypicam nos attendere iubet felicitatem foederis melioris sponfor: *beati mites, isti enim terrae haereditatem consequentur.*

§. XXXIII.

Verum ista cum exegesi quomodo Paulum conciliabimus, finita promissionis typicae periodo, addictam quarto praecepto longeuitatem adiuue vrgentem EPH. VI. 2. *ut estis pacifici et misericordes eorum sicut pater.* Nodum hic deprehendimus solum difficiliorem, ac plenisque videtur. B. LV THERVS, qui verba Exodi conuenienter verterat: auf daß du lange lebest im Lande, das dir der Herr dein Gott giebt; nunc stylum vertit in repetitione Paulina: auf daß du lange lebest auf Erden. Et sic libelli nostri exhibent catechetici: nec alias ac de felicitate terrestri vulgo explicantur. Difficultatibus ut medeamur, iuuabit sequentia monuisse. 1) Cum Canaanis typicae et antitypicae in decalogo coniungatur promissio, tanta est huius prae illa eminentia, quanta coeli prae terra. 2) Hinc Canaanis typicae felicitas inuoluerum tantum est honorum longe praestantium: et Canaanis cum maxime antitypicae hic adrenditur haere-

* Vocem *ארוך* in coniugatione actiua Hippi positam, non actiue verbo sed passiuè: Non *ut prolongent dies tuos* sc. parentes, quae *ארוך* et *ארוך* est sententia: sed *ut prolongentur dies tui.* Etenim i. parentes in Canaan antitypica dies filiorum prolongare non

possunt: effectus is est fidei gratiaeque diuinae. 2) versionem nostram confirmat acceptio Paulina Eph. VI. 2. quae quidem eadem est cum illa *ארוך* LXX. 3.) Admittit linguae sacrae natura: vide GLASSIVM *Phil. Sacr.* L. III. Tr. III. c. XXIII. 4.) *ER* longe simplicissima,

28 MANSVETI TERRAE HAEREDES. S. II.

haereditas. 3) Iſtam quarti praecepti promiſſionem enervaret Paulus, ſi in hunc ſenſum conuertiret: auf daß du lange lebeſt auf Erden. Neceſſe itaque eſt, vt eadem, quae in Exodo obtinet, conſeruetur et hoc loco ſignificatum vbertas: auf daß du lange lebeſt in dem Lande. 5) Sic verbis concilioſioribus ad pleniorẽ eandemque notiſſimam remittit promiſſionis in decalogo recitationem; quod Paulo admodum ſolenne eſt.

§ XXXIV.

Ita vero dixeris longaeuitatis excludi promiſſionem. Minime! ſed rite ordinatur. Longaeuitas nimirum ad regnum naturae ſpectat, et beneficium eſt primi articuli. Qui regnum gratiae promiſſionibus auxit Deus, illud non ſuſtulit, ſed confirmavit. Alia itaque eſt longaeuitas *in ſe*, alia *in terra Canaanis*, ſua iam obtinuit vt beneficium Dei ante oeconomiam Moſis, nec proinde ea ceſſante eſt antiquata. Haec vero ad bona teſtamentaria pertinet. Longaeuitas in terra Canaanis typicae, vt pignus fuit et umbraculum promiſſionum meliorum, beneficium gratiae erat, ad filium eccleſiae minorennem reſtriſtum. Hoc vero e cuſtodia Paedagogi educto, ceſſant typorum elementa; at remanet longaeuitas in terra Canaanis antitypicae. Verba itaque praecepti, quod promiſſionem habet, pro ſtatu noui teſtamenti hunc fundunt ſenſum: *vt longaeuus ſis in eccleſia ſub foedere meliorum promiſſionum; morte vero euocatus, beatitudine conſummata et conſummatiſſima in ſaecula vltas.*

§ XXXV.

Quam foecunda ſit haec noſtra obſeruatione, duo probant conſectaria maximi momenti, inde emanantia. En vnum: *longaeuitas impiorum non eſt beneficium gratiae ex promiſſione quarti praecepti; eſt enim extra terram Canaanis antitypicae.* En et alterum: *Qui morte praematura abripiuntur pſi, promiſſione quarti praecepti non excludunt; longaeuitatem enim in terra Canaanis antitypicae beatitudine perfectiore continuant.*

§ XXXVI.

Nunc qua ratione felicitatis terreſtris promiſſio iſti terrae antitypicae haereditati ſubordinate, facile iudicandum. *Nec ſub ea directe continetur; nec ab ea prorsus excluditur.* Phraſis deſumpta eſt a terra: vt adpareat, terreſtria primum Deo non diſplicere, quin immo beneficia primi articuli ſuis, ſi vere ſalutaria ſint populo promiſſionis, Deum elargiri libenter. Qui maiora praestat, minora non denegabit. At non terrena, ſed ſpiritualia et coeleſtia iſta phraſi inuoluuntur; vt haec primario meditemur, nec terrenis haeremus inſixi.

Ex hoc ſenſu pietatem habere promiſſionem huius et futurae vitae, recte dixeris.

99 A 6970

ULB Halle

3

002 824 85X



Retro ✓







24
**MANSVETI
TERRAE HAEREDES**

MATTH. V. 5.

**DISSERTATIO THEOLOGICA
CVIVS**

**SECTIONEM POSTERIOREM DOGMATICAM
ADIVVANTE DEO**

**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO**

FRIDERICO

**MARGGRAVIO BRANDENBVRGI, BORVSSIAE
SILESIAE MAGDEBVRGI CLIVIAE DVCE,**

**BVRGGRAVIO NORIMBERGAE, CAETERA CAETERA
DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO
PRAESIDE**

PRORECTORE MAGNIFICO

CASPARO IACOBO HVTHIO

**SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESS. PVBL. ORDIN.
PAROCHIAE PALAEOPOLITANAE ANTISTITE
GYMNASIORVM ILLVSTRIVM BARVTHINI
ET ERLANGENSIS SCHOLARCHA**

**IN
ALMA FRIDERICIANA ERLANGENSI
DIE III. NOVEMBRIS MDCCL.**

**PUBLICAE ERVDITORVM DISQVIVISIONI
SVMITTIT
IOANNES MICHAEL WIGANDVS
SVINOFVRTENSIS.**

**ERLANGAE,
METALLO IO. DITER. MICH. CAMERARII, ACAD. TYPOGR.**